







VIRO
Doctiss. Consultiss.
Dn. JACOBO FROSTIO
Aulæ Sedinensis Secretario
&
Virgini Lectissimæ

REBECCÆ,

Viri Nobilis, Consultiss. Ampliss. Dn. ANTONII PETERSTORFII Dicasterij Sedinensis Protonotarij Filiæ,

SPONSIS NOVELLIS
tædas conjugales
gratulantur
AMICI.



STETINI, Typis Duberianis,
Anno M DC. XII.





PAgina versa fuit, succedit in ordine pagus
Non sine fonte brevi, sed sine ponte levi.
Non pagus vagus est, petrinus, sanctus, a-
(mandus,
Fons suavis, frigus quem penetrare cupit.
Gratia nulla hyemi est, æstatem poscimus omnes
Ergòn' frigoribus gratia grata manet?
Cedit hyems plumas visum, sed frigus adinstat,
Petrinum pagum possidet, occat, arat.
Auctor quid voluit, convivæ quærite læti,
Et me lætitiâ consolidate novâ.

Vna Valens Virtus Nobilitare Potest.

ALIVD.

NVnc lætissimus annus est, amice
FROSTI; nunc Boreas silet: recessit,
Pulso frigore, tussis, & catarrhus.
Ridet nunc facies serena cœli;
Nunc æquor placidum est; colora tellus,
Picto instrata velut tapete, vernat.
Vênit Chloridos aureo nitentis
Curru dulcis Hygeia. gaudet omnis

Senus

Sexus; conditio omnis: omnis ætas.
Scintillant calidi faces Amoris,
Quem Lusus comitatur, & Choréa,
Et puros Jocus osculans Lepóres.
Sed ô gaudia, mi IACOBE, nunquàm
Sunt mortalia, plena, tuta, firma.
Quàm rerum vigor is repentè abibit!
Hoc Ver torrida mox fugabit Aestas;
Aestatem nebulosus insequetur
Autumnus: tremulo nivosa tandem
Gressu tristis Hiems redibit. orbæ
Stabunt frondibus arbores; carebit
Blandi floris honore terra: cœlum
Atris nubibus obtegetur. ingens
Torpenti glacie micabit æquor,
Rauco murmure sævietque Caurus.
Infelix erit, & miser, profectò,
Qui tunc aut vacuum premens cubile
Cœlebs; aut vetulæ accubans maritus
Rugosæ, tetricæ, pigræ, invenustæ,
Et pro sangvine frigidis habenti
In venis muriam, fracesque nigras,
Tota nocte suos, modò hùc, modò illùc,
Volvet pervigil, & revolvet artus.
Tu Frosti, & Themidos, novem & sororum,
Quas semper veneratus es, probando
Istud consilio malum cavebis.
Nàm venturæ Hiemis timens rigorem,

 Puel-

Puellam roseamquê, amabilemquê,
Et, quod præcipuum est, piam, atque castam,
Assensu Ducis optimi, PHILIPPI
Cui lætam tribuat DEVS senectam,
Hac verna tibi amoenitate jungis.
Hili non facies minas atrocis
Brumæ, flabraque turbulenta Cauri:
Hæc te frigidulum sinu tenebit,
Tuos eximia fidelitate
Vt pulchrè foveat pedes; ut armos.
Valete unanimi pares calore,
Ac tot vivite sospites per annos;
Quot flores habet Arbutus, sub umbra
Cujus jam latito, meridiorquê,
Præponens opibus Midæ Galénen;
Galénen niveam, integram, decoram:
Sinceram, innocuam, piam Galénen.

Ludovicus Hollonius, Poelitianæ
Ecclesiæ Pastor.

ALIUD.



Vngitur ecce tibi per connubialia fata
(Vt caleas, placeas,) FROSTE, REBECCA (calor.
Te calor internus coquit, & tua pectora tangit,
Angit amor, FROSTO sola REBECCA calor:
Vna REBECCA calens caleat sub pectore FROSTI,
FROST caleat, valeat corde REBECCA tibi:
Grata

Grata DEO sint vota novis quæ promta sequuntur
Sponsis, FROSTE tibi semina sacra sient;
Et Pietas, Patientia, Pax, Prudentia crescat
Corde choro, inq; thoro, floreat inq; foro.
FUNDITO SPONSA preces, thalamum Concordia servet,
Cura domum, CHRISTUS pectora pace beet;
Sic vobis proles junctis, pax, panis abundet,
Pòst DEUS arce poli jubila longa dabit.
Hoc precor ex animo, TRINUS mea vota secundet,
Fœcundetq; cui talia pacta placent.
GOtt der Allmechtig wolt dieß Ehleut gesegnen
Brodt/ Gsundtheit/ gutt/ vnd hurtige Söhne geben.

JOCUS metricus Latino germanicus.

FROSTIUS en kâmit, Brudt vvarmum makite beddum,
VVermite KOLDFROSTUM, vvarmum quoq; nemite in (armum,
Spêlite cum flaschis rundis, vos pipite mundis,
Gripite cum beidis hendis, vermengite foëtos
Levite cum freudis soetis, smuck spelite tick tack,
Inn, vnd vht, Gott geff juvv Zuckermuendige puppen
All gut, Hertzite, Leevite, spêlite, levite in ævum.

M. Adam Möesler *Scabin: Sedin.*
P. Cor: Cæsarius.


ALIUD.

Mirabar nuper Sponse, usu cognite longo,
Usq; huc distuleris cur conjugialia festa,
Nec cum torperet brumali frigore cœlum,
Et maris unda gelu, celebrâris ritè parata.

 Nam-

Namq́; ubi se insinuat penetrabile frigus in artus,
Assolet omnis homo socialis quærere lecti
Commoda, ut alterius flammâ propiore calescat.
Tu contrà solus cubuisti frigore sævo,
Et mollis caruit lectus consorte jugali:
Nunc ubi se solitis fervoribus exserit æstas,
Nunquam rumpendo tibi jungis fœdere, lecti
Consortem, tecum quæ vitæ transigat annos.
An glaciale gelu quoniam tibi nomina fecit,
Æstate in media tibi frigida membra super sunt?
Hac seu causa fiet, seu non, tibi gratulor istam
Fœdere legitimo junctam: tua corda calore
Interius foveat, membra exterioraq́; adurat.
Mutuus ardor alat vos ambos, sancta fidesq́;
Pax tranquilla torum ambiat: unum velle duobus
Vnum & nolle fiet: socia hæc conjunctio multos
Progignat fructus, qui fructus vincula amoris
Præstant & lecti sunt pignora grata jugalis.
Interea parcant Parcarum numina vitæ,
Æquare ut liceat vivendo Nestoris annos.

Brun Otto à Rammin.



ALIUD.

Vana superstitio gentilis more vetusto
Junoni Argivæ, vincli quæ diva jugalis
Præses habebatur, faceret cùm sacra marita,
Fel pecori cæso exemtum abjciebat ad aras.
Nempe ita credebant, ut victima felle careret,

Sic

Sic fore, ne thalamos Eris infestaret acerba.
Felicem lectum, vacuum quem bile feroce
Candida circumdat pax & concordia munit!
Sit, Sponsi, vester talis torus : exulet inde
Lis & rixa omnis, succedat paxq; fidesq;
Mutua, & oppletum non ficto pectus amore.
Sic sobolem multam cernetis, pignora lecti,
Gnatorum gnatos & qui nascentur ab illis.
Hæc precor : æternum Numen mea vota secundet!

Philippus Ernestus à Rammin.

ALIVD.



Valem, me mentis nisi fallit opinio, dudum
optavi sociam, fautor amice, tibi:
Nunc quoq; devoveo: versu & gratarer eandem
sublimi, qualem noster anhelat amor:
Ni me præpediens operas orâsset easdem
Musarum & Phœbi corculum & unus amor,
FABRICIDES, ille alter-ego dum cœlibis annos
pertæsus vitæ, sacra marita parat.
Otia ademta, tibi me purgent, quæ fero pauca
sint grata, Haut verbis, vota probanda animo.
Bis trinis alacrem & vegetam quam Teutona pubes
pingit litterulis, Sponsa virago siet.
Sit pietatis amans, Probitatis laude nitescat,
quæ ferat amplexûs comta virago viri.
Omnia vana, nihil. Pietas gratißima cœlo
& probitas celebri laude vehenda solo.

Omnia

Omnia habet probitas pia. Sors si fulminet ore
irato, firmo statq; manetq; loco:
Qualis, arenoso non pulvere, rupe sed asprâ
structa domus fratres non timet Æolios,
Stans, vastos moveat si fluctûs Rector aquai,
fixa nec è solidâ sede remota cadens.
Non sine dote fiet, verùm auri pondere dives
quæ ferat amplexûs grata Virago viri.
Dudum hoc rixarum cum Pluto cœpit Amori,
omnia uter superet? Plutus, an ales amor?
Ingeniosus Amor, si non comes iverit ipsi
Plutus, perrarò victor ab hoste redit.
Crescit amor juvenum, quantum ipsa pecunia crescit;
& genus & formam copia donat opum.
Fœtida ne sit anus, sed vernis nubilis annis,
quæ ferat amplexus bella Virago viri.
Nulla salus vetulis, Iuvenes vos poscimus omnes:
quis sterilem presso vomere sulcet agrum?
Non anus apta toro, dentes quæ lurida, frontem
rugosa, oclorumq; imbre rigata genas.
Quis ferat, angustum cui pectus quassat anhela
tußis & obtundit dira gravedo caput?
Quis ferat aßiduum murmur tristesq; querelas,
quas voce invisâ rancida fundit anus?
Gaudia poscit amor genialis: gaudia, lusûs
festivosq; jocos ver juvenile parit.
Corporis emineat dio vultusq; decore,
oscula quæ libet blanda virago viri.

Forma

Forma bonum, quo non aliud velocius ullum
improbulè impellit currere amoris iter.
Forma hominesq; Deosq; movet: nisi lubrica vatum
scripta, ipsum illexit forma Venusta Jovem.
Aureus hinc imber Danaën, simulataq; tauri
Europen, Leden forma fefellit avis.
Turpia quin pulcræ non sunt habitacula mentis:
Pulcra placent pulcris, turpia turpis amat.
Inde pudicitiæ castæ splendore coruscet,
oscula quæ libet pura Virago viri.
Non oculis tantum ducenda, sed auribus uxor
sat dotata venit, quæ sine labe venit.
Ingenium & mores si casta modestia format,
arctiùs adstringit pectora mollis amor.
Casta placent superis: non unquam hymenëia, castus
quæ largitur Eros, gaudia turbat Eris.
Præmia concubitu famulæ dum digna reportant
suspensæ, Icarida lausq; decusq; manet.
Tandem huic sint tecti privata negotia curæ
oscula quæ libet promta virago viri.
Ocia quæ vitæ sectatur desidis, extra
quæ proprij tecti limina crebra meat:
Non læto thalamo: tumulo dignanda: vel ultra
pellenda Oceanum Sauromatasq; feros.
Quæ cochleæ instar amat ædes, operasq; Minervæ
delectumq; sibi gnaviter urget opus:
Cumq; tori socio quavis ratione laborat
sedula opes opibus amplificare novis:

Hanc procus ambitum quivis eat: omne Smaragdi
Hæc precium precij vincit honore sui.
Quæ probitate piâ, gazis, & flore juventæ,
& roseo vultu & laude pudicitiæ,
Præstet, quamq́ue domûs insomnis cura fatiget,
hæc petat amplexus, Sponse, virago tuos.
Quin petit atq́ue rapit jam PETERSTORFIA amandæ
proles, virginei stella corusca chori.
Non libet ire tuas in laudes blandula Nympha.
Quid fiet in sylvas cur ego ligna feram?
Nec nitor atq́ue decor vultum mentemq́ue figurans
scité, præconis frigidioris eget.
Abramidæ qualis nupsit generosa Rebecca,
matronalis honor dia Rebecca gregis:
Talis Sponse tua hæc virtutibus aucta Rebecca
integris, χαρίτων effigiata manu.
Hac gaude Sponsâ mox-conjuge, alacriter aude
oscula per longas jungere pressa moras.
Delicias lecti Alectone infestet acerba;
gratis pignoribus pronuba Juno beet.
Pignora lecti alacrem Sponsum Sponsamq́ue frequenter
testentur. Votis fata secunda fient.

fundeb. αὐτοσχεδιασί in Acad.
Philyréa

M. Philippus Horstius
Brunsvigâ-Saxo.

ALI-

Dn. JACOBO FROSTIO.

I.

Ittera remigijs nuper felicibus usa,
Me vocat ad tædas, culte IACOBE tuas.
Mens animi tacito voto sitienter anhelat
Volvere conspectum per loca nota meum
Capto Patrem Patriæ veneräter adire PHILIPPUM,
Corporis est cujus jam renovata salus.
Perplacet VLRICO dextram præbere Dynastæ
Qui meus est, vitam dum mihi CHRISTVS alit.
Ardeo CRAMERI suaves haurire loquelas,
Qui mihi non pater est, sed mihi penè Deus.
MARSTALLERORUM mihi mens stat cernere Trigam,
VVINTHERI doctas & tetigisse manus.
Quin & STECHERVS, cui servit cantor Apollo,
Optat præsentem me semel esse sibi
At non cura sinit, strictim quam postulat aula,
Vltra me cupidum limina ferre pedes.
Vt tamen exornem tua conjugialia serta,
Quem tibi collegit Musula, flore meo;
Has cape lineolas, ars quas pictoris egenas
Præterijt, nec quas læve polivit ebur.
Absens auxilium precibus cœleste vocabo,
Luceat ut thalami fax tibi clara; Vale.

II.

MOrtalium solertia Fœminam,
Pandora possit quæ vocitarier
Delapsa cœlo, quo sub ævo
Præterito, quibus aut sub annis
Invenit, aut post inveniet? DEO
Ab optimo est quærenda precatibus
Hæc sola; quo præsente, quodquod
Consilium valet expeditum.

Et qui tenaci mystica pectore
Præcepta custodit, neq́, deserit
Virtutis ædem, dante CHRISTO,
Jlle piâ potitur maritâ.
Læteris ergò, cui DEUS omnium
Dator bonorum dives, amabilem
Offert Rebeccam, castitatis
Et pietatis amore claram.
Hanc non profectò tu stolidi vagis
Mutare gaudes divitijs Midæ.
Opes quidem spondent parentes;
Vxor amica DEI sed est dos.
Hanc scilicet plaudentibus omnibus,
Hanc scilicet gaudentibus omnibus,
Amoris instigatus igne,
Expetis esse tibi maritam.
Cernis genarum purpuret ut decus
IACOBE FROSTI? vibrat ocellulos
Quàm blanditer? num te celebras
Rosidulasq́; manus pedesq́;?
Comtas puellas atq́; venustulas
Gens litteris jurata sacerrimis
Ambire discat; cerdo turpes
Bryllidas expetat osculari.
Sed & triumphet cordis ab intimo
REBECCA dulcis, blanditer aufferens
Eum virum, cujus probatur
Provida sedulitas in aulâ.
Apollo purgavit latiò tibi
Aures acetò; carminis artifex
Et cultus audis; quod flagellant
Burrus iners, socijq́; Burri.
Cesso. Ligati vivite conjuges
Feliciter; vos nulla pericula

Tur-

Turbent thori ; longè facessat
Mater Eris stygiæ paludis.
Urnâ sat amplâ suppeditet DEUS
Vobis, thorus quæ mutuus exigit :
Connubij fructus feraces
Gignite & unanimes quotannis.

Ludvvigspurgo
Johannes Gundermannus Hilper-
husanus, Francus.
Anno I. C.
DeVs ConIVngIt aMantes.

ALIUD.

Flamma sacra est Veneri, penitum quæ pectus
(amantûm
Ustulat, Ætnæis ceu pingue bitumen in antris.
Tunè, Jacobe, etiam flammas accedere ad istas
Concupis, ut caleas à stricti frigoris aurâ,
Diceris affectus teneris quâ primitus annis?
I Petri pagum, Divæ propè fana Mariæ,
Illic invenies Veneris sacraria, & ignem,
Imò ipsam invenies Venerem, sacrumq; Rebeccæ
Conditum in hac Genium, pectusq; Iacobe, necesse est
Hujus ut accedas ignem, satis inde calesces.
Sola, REBECCA VENUS formâ est, sed nomine, req;
Isacio similis Rebeccæ stemmate natæ.
Hujus Tu flammis feliciter urere; quis non
Virginis ingenuæ castis velit ignibus uri?

Vrere, & his flammis, Jacobe, senesce, calesce,
Vt nunquam socios frigus prius intret amores,
Quam ferat extremam Vobis mors frigida pausam.

Petrus Neomarcus. P. L.

ALIVD.

Elusio jocosa proverbij, quod legitur apud Ovidium V. Fastorum:

Mense malum Majo nubere, vulgus ait.



Ense *malum* Majo, Romanum, nubere, vulgus
Dixit; & assensum vox tulit illa suum.
Mense *bonum* Majo contra reor esse futurum
Nubere, si Pius hoc tempore cœptet opus.
Omnibus in terris vulgus maledicere cunctis
Audeat, & soleat Zoylus esse tibi:
Diffugere nives tamen altis mentibus albæ
Mense hoc, & zephyrus mitis ab axe redit:
Mense hoc floriferum Ver frigora prima fugavit,
Et glacies fluxit victa calore procul:
Majo mense *bonum,* quo cuncta virente moventur,
Nubere, cùm niteat planta colore novo:
Mense hoc erumpunt viridi de cortice gemmæ,
Et violis redolent mortua rura novis:
Floribus ornatæ crines per prata Napææ
Saltant, his choreæ dat Philomela melos:
Carmina muscosis volucres lasciva sub antris
Cantant; voce omnis sylva remugit avis:
Aurea nunc volucer jaculatur tela Cupido,
Et juvenum Veneris pectora flamma fovet.
Hoc ecquis nollet submittere tempore colla
Conjugio? & Sponsæ ferre suave jugum?

Ver

Ver ubi jam vernis ornarit floribus arva,
Mense malum Majo nubere, vulgus ait!
Scilicet id curæ populo, num mense Novembri,
Aut Majo, aut Jano nubere quisq; velit.
Si DEVS elegit Sponsam cuî nubere possis
Sponse, dies vulgi nil metuenda tibi.
Et Jano, & Majo, Augusto, Octobrive, Novembri
Nubere ego vellem, si modo Sponsa foret.
Consilio & jussu fiunt connubia Iovæ,
Temporis is primus finis & autor erit.
Immemor es vulgi contra carissime Frosti,
Nec Maij mensis tempora Sponse times.
Mense etenim Majo tibi jungitur ecce *Rebecca*,
Aptum num tempus conijcis esse thoro?
Dij faciant ut sint temeraria cuncta; secundo
Conjugio utaris lætus ovansq; precor.
Seu Vêr sit, vitream glaciem seu flumina trudant,
Te foveat *gelidum* cara Rebecca *foco*:
Sive sit Autumnus, sive Æstas, tute Rebeccæ
Temperies dulcis sisq; *Refrigerium.*

Dno. Sponso amico ludebat

Christophorus Stecherus.

ALIUD.

INgenij, cùm sit, FROSTI, tibi vivida flamma,
Dextraque quæ calamo est solerti haud frigida; (Sparta
Cum laude expediens non parvâ munia celsa:
Cur geris â rigido deductum frigore Nomen?
Antiphrasi nimirum istud factam esse putandum;

Bella

Bella velut, duri dicunt certamina Martis,
Lanificæ ut Divæ, Parcæ vocitantur; in orbe;
Parcere cùm nequeant hominum tamen ullibi vasto!
Sed decepta tuo est Cypris quoque Nomine Diva,
Frigida fortè putans tibi Nomen membra dedisse;
Unde tibi lepidam voluit sociare juvenclam,
Quæ tua blandidulo refovêret membra calore.
Non error tamen ille nocet, quin utilis amplè est,
Atque ideo Divæ meritò donandus amicæ.
O te felicem nimium, nimiumq; beatum,
Quando IACOBE, viges Calamo, Ingenioq;, Toroq;!
Gratulor ergo tibi (quamvis ignotus), & opto;
Ut concessa tibi divino munere dona
Gloriam in altisoni, Regis vergêre deinceps
Usquè queant, pariterq; tuam, SPONSÆq; salutem.
Sit rigor, atq; gelu procul inclementia tristis
Vestris à Laribus; Solis jubar auricomantis
Irradiet vestras tædas, vestrosq; penates.

Benevoli affectus ergò f.

M. Florianus Chenoboscus P. L.
Francus Germanus.

ALIUD.


Ixit Melissus Teutoniæ jubar
Phœbusq; clarus per Clarios tholos,
Denatus è tumba resurgit
Artis Apollineæ brabeis.
Vixere plures, Cæsaros aurea
Queîs Dextra, dextras non modò munere
Gangis, monilis Jaspidisq;
Eximiè decoravit; inter

He-

Heroas ultrâ, juxta equitum modos,
Sacri Palatl Gratia, quam comes
Cernit, peræq; indulta, textas
Phœbigenûm meritis corollas.
Ne sit sepulcris Hectoreus labor,
Virtusq; mortis spicula sentiat,
Est dignitas concessa, vates
Iure creare, ciere doctos.
Hi primulum altos concelebrent polos,
Et Trismegisti Munera cœlici:
Laudarier quæ non homullis
Sat poterunt vel in æviternum.
Implet voluntas, deficiunt ubi
Vires petitæ: Barbiton organis
Impar; nec est par olla vilis
Egregio figulo putanda.
Est cura vati proxima tollere
Partum trophæum bellaq; fortiter
Pugnantium, cultis virosve
Philosophos decorare metris.
Alit celebres Pomeriæ inclutus
Princeps PHILIPPVS schemate Daphnico
Qui ornant sequentes Pindari hortos;
Bacchilidis strepitum moventes.
Pinnoviani sunt Spurij chorô
Vatum, pares qui nobile jactitant
Pinnovianum nomen: absint
Quod minuant solitos Honores.
En sub cucullo vulgus in infimum
Ebullientes parturiunt; viden'
Qui mus cahinno dignus exit
Tectaq; suspicio patescat?
Vesana mens est concelebrarier
Cupisse vano vaniloqui melo;

Eſt ad pudorem virtuoſo
Ac levitas tenuationis.
Vincit Dolores Froſtiadæ labos:
Vincunt Honores quin opus arduum:
Sat conſtat, abſit buccinator
Et colacis malè vox adulans.
Datu Iovæo, ſtemmate nobili
Exorta virgo jungitur ad lætus:
Quæ proſpere nomen perauget
Nobilitatis avos recenſens.
Sentit parentis Pomeriæ, incola
Cycli, labores invigiles: diu
Quem ſoſpitet nobis, clienti
Eximios refovens patronos.
Haut nulla carpo Punica de rubo;
Virtus nec impar progenieî Patris;
Quà ſtemma, quà virtutis Ardor,
Nobile quà proavûm Decúsq;,
Si Sponſus ultrà junxerit arduos
Niſus Honorum, grata Famillijs
Extabit uſq; ac uſq; Fama,
Fama per Aonidas perennis.
Hanc in caduca comprecor orbita;
At in Polari gratulor ordine,
Sponſis beatis corde toto
Impoſitam capiti coronam.

Cammini XIV. Maij, anno

GratIa DeI noſtrI ſIt CVM pIIs ſponſIs.

applaudit felicis ominis
ergò,
Martinus Smechelius.

ALI-

ALIVD.


Iror te, FROSTI studijs exculte, fateri
Nomine, quod non es; velle negare, quod es.
Quod non es, non esse velis, quod es ipse fatere:
Est malè, quod non est, qui negat esse, quod est.
Miraris? dicam, cupio quæ verba rotundè
Haud vulpem condens pectore sub rapido.
Invasisse tuos frigus penetrabile in artus
Nomine confirmas: Res tamen ipsa negat.
Frigidus esse potest, cui fervet sanguis amore?
Scintillantq; oculi, frigidus esse potest?
Tecum habita, & nôris tua quam juuenilia flagrans
Flammula comburat pectora, quamq; coquat.
Optas, significem tibi, quæ sit flamma, quis ignis?
Ecce ignis, flamma est, Nympha decora tua.
Est animo caldo, flammamq; hanc vindice flammâ
Compensa: Nam sic huic satis esse potes.
Huic satis esse potes, nec non sic nominis omen
Fallere, quod fiat, id precor ex animo.

Honoris, amoris, & gratitudinis
ergò deproperabat
Iohannes Matthæi Trepto. Pom. Rostochio
discessurus ad Lipsensem Academiam.

ALIVD.


Iverus, quem tot triverunt secula, versus;
Exeat ille Aulâ qui cupit esse pius:
Næ tibi nunc vitijs, FROSTI, mens obsita fœdis,
Vitaq; probrosâ labe notata foret,

Næ tibi Diva Cypris non casti nunc, sed amoris
Incesti flammâ pectus araret ovans.
Sed negat hæc tua mens, tua vita probata reclamat,
Et quod corde pio, nunc meditaris opus.
Mens pietatis amans, sanctas decorata per artes,
Iuris & immensi fonte rigata sacro,
Hinc proba vita, Deo res grata, & plurima recto
Munia cordatis præstita corde viris
Vt te majori, quam nunc cum laude ministras,
Rerum crediderint posse præesse rei.
Ergo quod esse jubet te mens, tua vitaq;, id esto;
Nec cessa illustri servus inesse domo,
Perge pijs cæptis socij nunc addere amoris
Vincula, sic fies carior usq; DEO.
Nos vota interea volvemus poplite curvo
Devotâ ad MAGNI sydera magna DEI
Alme pater, socij lecti fundator, & omnis
Autor in amplivago hoc ordinis orbe boni;
Sis præsens, nymphumq; tuum dignare sacrato
Flamine, quo munus, non sine laude gerat.
Necte duorum animos parili virtute, fideq;
Sint unum in Domino, sunt licet usq; duo.
Ingreditor thalamum, lectumq; attinge jugalem,
Et qua cuncta foves, fructificato manu.
Sicut & uva triplex propendet palmite ab una,
Sic à matre una pignora multa patri.
Adde etiam cornu varias è divite gazas,
Hinc foris atq; domi suppetat omne bonum.
Post ut ad extremam claudent sua lumina noctem,
Utrumq; in gremium suscipe Christe tuum.

Boni affectus & fausti ominis ergo
scribebat Rostochij
Casparus Daberman Pom.

ALIUD.

Ni bona forma *siet*, *Logici concedere nolunt*,
Quod quis ait. Sacri hæc forma sit ergò thori.
Sponsa Minor, Major *sponsus*, Medius *sit utriq;*
Verus amor, *proles indè* sequatur *eos.*
Nec Ramæa potest, *nec peripathetica* formam
Hanc schola conjugij *carpere: Firma manet.*

ἐπομηνοημερολογικὸν

BIs seX & IVnII Vt tres VIX sVnt antè CaLenDas
OrtVs, IaCobo DVCta RebeCCa VenIt.

JOHANNES RAKEMANNUS
Tang. Palæo-March

ALIUD.

VOTUM NUPTIALE

IACOBUS FROSTIUS
REBECCA PETERSTORPHIANA

ἀναγραμμ.

SI OBIS PERFER. CRESCAS. FORTUNA CEDAT OBVIA.

ESt onus, estq; jugum, labor est, & sarcina vitæ
Connubium, Quis enim (quanquã sit Maro, Nasove,
Aut Cicero,) dignis verbis efferre valeret,
Conjugibus ferat hæc quæ incommoda vita jugalis?
Cum quis inire parat socialia fœdera, Dæmon
Obstat, & iratus blasphemas spargere voces
Audet, ut hæc iterum nugis disrumpere posit.
Postea quando videt quod fœdus iniuit, & illam
Quam duxit quod amet, crescit Cacadæmonis ira,

Ac ubicunque poteſt rabidas in cordibus iras
Excitat atque nocet per flammas, ferra, vel ignes.
Aut ve malis facit ut vicinis fraude petantur,
Vexentur varijs odijs, tribulentur & iris.
Et quis cuncta poteſt in commoda fœderis hujus
Effari? Satanæ potis eſt quis dicere technas?
Ergo quis miſeram non diceret inde jugalem
Vitam? Qui facit hoc inimicus habetur & hoſtis
Ipſius Iovæ, qui hæc fœdera primus in horto
Edeno instituit. Natum quoq; virgo coævum
Deſponſata viro peperit. Quid? Spiritus arrha,
Quam ſponſus Sponſæ quam Chriſtus donat & offert
Humano generi ceu ſponſæ, Spiritus idem
Aſtat, & expellit lites, atq; inflat amorem,
Et dat eis pacem, dat quicquid vita requirit.
Tota Trias Nymphas fœcundat, Creſcite dicit
Ergo quis hinc (referam ne cætera commoda) ſacro
Conjugio meliora, fuiſſe vel eſſe futura
Dicet & ad Sanctum felixq; bonumq; negabit?
Hæc quapropter OBIS Si fœdera SpONSE, REBECCAM
Siq; tibi jungis, nihil hinc te abſterreat, omne
PERFER, & obdura conſtanti pectore; Namq;
Non fera tempeſtas toto regnabit in anno,
Sed lætus veniet poſt nubila Phœbus, (ut ajunt.)
Exhilaret mentem comitans benedictio: CRESCAS.
Et videas natos fœcundi palmitis inſtar,
Qui repleant ædes & cingant agmine menſam,
Ex his per longâ videas quoq; ſtirpe nepotes.
Quid? FORTUNA tibi fæcunda, ſecunda, beata,
Proſpera, perfelix, quo verteris OBVIA CEDAT.
Hæc precor eveniant: Hoc claudo carmina voto:
CRESCAS ac felix FORTUNA tibi OBVIA CEDAT.

L. L.

Iohannes Dabelovius Neobrennopyrgenſis Megaloburgicus.

ALIUD.

DVm, frater, vitâ atq; oculis mihi charior ipsis,
Legitimi lecti debita jura subis.
Multis gratarer verbis: sed curta supellex
Non fert; hæc ergo consule pauca boni.
Primus conjugij & socij DEus auctor amoris,
Sincero Sponsos jungat amore, fide.
Aurea pax thalami socialia fœdera cingat:
Asmodeus cieat jurgia nulla malus.
Circumdet mensam proles numerosior: æquent
Sponsi Mathusalæ secula longa senis.

Martinus Frostius.

ALIVD.

FROSTIO meo ejusq; REBECCÆ, sponsis jucundißimis.

QVæ nunc virgineo tibi SPONSA decore IACOBO,
Nata PETERSTORFO Patre REBECCA, venit;
Quid, genus, & formam, pietatem præter, & ipsam
Præter virtutem, polliceatur: Habe.
COR despondet amans; Redamans quo tute rependas
COR; Hocq; unito flagret utrumq; foco.
Quam benè! Sit quamvis monosyllaba vocula: Multùm
At perfecta tamen: Trina elementa notant.
COR Protoplasten primum, faciente IEHOVA
Carnem unam è duplici corpore, junxit HEVÆ.

COR

COR casto, ISAACO devinxit, amore REBECCAM,
Ipsaq; JACOBUM deperit inde RACHEL.
COR extrema, sui pro REGIS, fata, salute
ADMETI, ALCESTEN fecit adire rogo.
Pluribus haud opus est: COR cunctos nectit amantes!
Hinc tibi & hinc sibi JACOBI-REBECCA venit.
Tantum. Bina uno PIETATIS, PACIS, AMORIS
TRINVNVS nexu pectora vestra liget:
Vosq; duos unos, JACOBE, REBECCA, secundet
Fœcundet, servet, Numine, Prole, Fide!

M. Balth. Setzer.

Eteostichon.

FrostIVs eXCIpIet VVLCanI foLLe RebeCCaM,
TVtVs Hephestæo: *IoVa IVVabIt opVs.*

P. Z.



